

croscopium inspectæ sunt nihil aliud quam portiones ferri vehementissima hæc attritione fusæ & liquatæ.

2. Ferrum leviter saltem prius præparatum solo & repetito fortiori ictu atque percussione cum malleo facta, absque ullius ignis accessu candens redditur.

3. Phosphorus Anglicanus solo attritui & motu accenditur & flammam suppeditat lucidissimam, penetrantissime urentem.

4. Oleum Caryophyllorum æquali portione mixtum cum Spiritu concentrato singularis præparationis à nobis igneo dicto, in momento non fecus ac si ignis admoveatur pulveri pyrio, in ignem amplissimum lucidissimum resolvitur siccissimo & levisimo cinere relicto.

5. Oleum majoranæ, terebinthinæ, anisi, succini cum eodem Spiritu si seorsim misceantur nullam dant flammam, sed fortiter incalescunt & resolvuntur in liquorem crassum rubicundum, oleum terebinthinæ autem in nigricantem instar picis massam.

6. Venti ignei variis modis oculis sisti possunt, dum pulvis Benzoes Mastiches vel Seminis Lycopodii tubo vitreo vel fistula tabaci exceptus in candelæ flammam inflatur.

Spiritus Vini rectificatissimus in æolipila contentus convertitur in Ventum qui admota candelæ flamma jucundo spectaculo accenditur.

8. Limatura martis mixta cum Sulphure & aqua ebullit & massa nigra aeri libero exposita flammam concipit.

DEMONSTRATIO VIII.

Flamma libero & necessario aeris commercio eget, hinc aer ignis anima.

Experimenta.

1. In Campana, cui aer evacuatus est, flamma candelæ

læ